



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

23. Quamdiu vacare possint aut debeant beneficia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

peritum, adeoque non extinctiva tituli, uti non extinguitur penitus beneficium, ita nec prior ejus vacatio; unde per dissolutionem unionis, seu revocationem talis suppressionis non creatur novum beneficium; ita nec nova consurgit ejus vacatio, sed prior potius, hoc sublato suppressionis temporalis impedimento, reviviscit: videtur manifeste inferri ex iis, quæ tradit Lott. l. 2. q. 8. n. 85.

Questio 20. In specie quâmdiu duret, seu per quid consumatur vacatio Sedis Episcopalis seu Abbatialis?

Respondeo: quamvis de jure communi desinat vacare per confirmationem, institutionem, seu provisionem à sede Apostolica factam. Gonz. gl. 15. §. 2. n. 80. citans gl. in clem. 1. ut lite pend. v. collatio. Pavin. de off. & post. cap. sede vac. prælib. 7. n. 16. Felin. in c. cum Bertholdus. de rejudicat. n. 3. &c. ita ut per confirmationem, vel provisionem papalem acquiratur exercitium jurisdictionis ante apprehensionem possessionis. Gonz. ibid. n. 81. citans gl. communiter receptam in c. penult. de præb. in 6. v. collatio. Balsium. de elect. p. 3. c. 44. n. 4. Abb. in c. transmissum. de elect. nu. 2. & 3. hodie tamen non cessat dicta vacatio, donec literæ confirmationis, institutionis, aut provisionis Apostolicæ sint expeditæ & præsentatæ capitulo, seu conventui, cujus prælati sedes vacabat, ut expresse disponitur per extrav. injuncta. de elect. inter communes. Gonz. loc. cit. nu. 83. citans Rebuff. in pr. de Simon. resign. n. 31. & 40. ac nu. 84. subjungens juxta hæc debere intelligi DD. dicentes, quod literæ debeant esse expeditæ, ut non dicantur Ecclesiæ vacare, ac Episcopus possit administrare, licet de præsentatione literarum mentionem non faciant: licet enim simpliciter loquantur, quod nulla sit necessaria expeditio literarum, non tamen per hoc excludant transportationem, ostensionem, & præsentationem literarum, ex quo ad id probandum allegant cit. extrav. injuncta, quæ decretum irritans continet, & graves penas non solum contra utentes jurisdictione, sed etiam contra capitulum, & conventum admittentem ad possessionem, seu jurisdictionis executionem ante dictarum literarum præsentationem: sed de his plenius alibi, ubi de electi & confirmati potestate.

Questio 21. An, & qualiter vacent beneficia manualia & regularia?

Respondeo: beneficia manualia vacare per obitum: item vacare posse per resignationem, tradit Paris. l. 11. q. 3. n. 93. Vacare item ipso jure per amotionem seu revocationem ad autum conferentis illa, tradit ibid. Paris. & Gonz. gl. 15. num. 96. sicut & vacare beneficium de cetero non manuale per obitum Papæ, dum is contulit illud ad beneplacitum suum, tradit ibid. Gonz. nu. 93. Et beneficium aliàs ex natura sua perpetuum collatum per Papam ad certum tempus, vacare eo ipso termino elapso, asserit num. 94. Veruntamen in manualibus uti non datur verus titulus, ita non dari vacationem astruit Card. de Luca. de benef. d. 96. n. 18. citans pro hoc Greg. decis. 48. num. 5. & Rot. decis. 245. n. 3. p. 6. recent. quod tamen ipsum limitat n. 19. dum ait, intelligendum de vacatione vera & propria ad effectus juris, illum præsertim reservationis vel affectionis; de cetero namque improprie, ac largo modo ea dici vacare de facto per

per mortem naturalem vel civilem, vel per remotionem.

Questio 22. An, & qualiter vacet beneficium de mensa, beneficium unitum, & beneficium Ecclesiæ non numerata?

1. **R**espondeo ad primum: beneficia de mensa non sunt vacabilia, seu non dicuntur vacare, Lott. l. 3. q. 8. n. 88. citans gl. communiter receptam in Clem. unicam. de suppl. negl. prælator. & ibi Imol. n. 42. Card. n. 5. Vital. n. 101. & AA. passim. Gonz. gl. 5. §. 6. n. 64. & §. 7. n. 21. And. Vallens. de benef. l. 3. tit. 12. n. 2. ubi: quod beneficium vacare per obitum, fallat in iis beneficiis, quæ sunt mensæ prælati, vel dignitatis, vel capituli annexa, &c. Quia illa non vacant per mortem eorum, qui illis inserviunt: nam licet illis fructus concedantur, non sunt tamen proprie illorum Rectores & beneficiarii, sed veluti usufructuarii; quibus proinde mortuis ejusmodi beneficia tanquam usus fructus mensæ, cui unita sunt, consolidantur. Porro quæ dicantur proprie beneficia de mensa Prælatorum, Capitulorum, vel singularum dignitatum & præbendarum, vide apud gl. in Clem. unic. de excess. prælat. v. ad mensam.

2. Respondeo ad secundum: beneficium unitum nunquam dicitur vacare, Gonz. cit. §. 7. n. 7. citans Gomez. ad reg. de triennali. q. 8. n. 2. Paris. cons. 31. n. 10. vol. 4. Mand. ad reg. de infirmis. q. 10. n. 2. quod intelligendum de unito in perpetuum; quippe hoc mediante unione definit esse, seu ejus titulus extinguitur. Gomez. ibid. à n. 2. de quo nos alibi: de unitis verò ad tempus, siue unione non extinctiva tituli dictum est supra, quod dissoluta unione pergant vacare vacatione antiqua. Stante autem illa unione temporali, non videntur proprie dici posse vacare, nisi ad summum vacante principali beneficio, cui accessorie unita, seu vacatione vacantis illius beneficii principalis.

3. Respondeo ad tertium: beneficia seu præbendæ Ecclesiæ receptivæ, seu non numeratæ (id est, in qua non est certus præbendarum numerus, sed secundum securitatem supercrecentiam beneficiarii crescunt vel decrescunt. Gomez. loco paulo post citando. n. 1.) Et si fiat vera beneficia, ut Gomez. ibid. n. 2. non sunt vacabiles. Lott. loc. cit. n. 82. citans c. dilecto. de præb. &c. ex parte. de concess. præb. Felin. in c. cum accessissent. n. 3. Gomez. gl. 15. §. 2. n. 19. & gl. 9. §. 3. n. 10. ubi: beneficia in Ecclesiis non numeratis nunquam vacant; sed confestim ut titularius decedit, supprimuntur, expirant, cessant, & esse desinunt juxta Tex. c. dilecto. de præb. & ibi AA. communiter, & in specie Imola. n. 7. Butrio. n. 8. Abb. n. 8.

Questio 23. Quâmdiu vacare possint aut debeant beneficia?

Respondeo primum: Ecclesiæ Cathedrales & regulares ultra trimestre vacare non debent; alia autem prælaturæ, dignitates & beneficia ad semestre, quod tempus eorum provisioni concessum est, c. 2. concess. præb. vacare possunt. Laym. ad c. ne pro defectu. de elect. n. 1. ubi etiam rationem hujus discriminis assignat; nimirum, quod beneficiarii, etiam Ecclesiarum collegiarum Prælati, spectato jure communi, non exercent jurisdictionem in Clericos, sed ea Episcopo competit; at verò regulares prælati, tametsi excepti non sint; jurisdictionem Ordinarium & generalem exercent

ercent in religiosos suos, saltem in causis spectantibus ad vota religiosa, observationem regulæ, & domesticam disciplinam, juxta. *c. ad aures. de temp. ordinat.* Porro eandem constitutionem *c. ne pro defectu.* extendi quoque debere ad Ecclesiarum Collegiarum Prælatos illos, qui & ipsi ordinariam & generalem jurisdictionem in Clericos suæ Ecclesiæ jure speciali exercent, ob identitatem rationis, & intentionem legislatoris (quæ in isto *c. ne pro defectu.* fuit, ut Ecclesiis viduatis, seu pastore & sponso destitutis tempestivè provideatur, ne detrimentum aliquod patiatur) probabiliter censet Laym. *loc. cit. n. 2.* citans Abb. *n. 5.* & Imol. *n. 2. in cit. c. ne pro defectu.* & *gl. in c. quia propter. de elect. v. Ecclesiis viduatis.* Porro qualiter dictum trimestre capitularibus restringi possit, & qualiter computandum, dictum est in *part. præced. de electione.*

Questio 24. Quando nam, seu quo tempore dicatur beneficium vacare?

Respondeo: tempus vacationis propriè & communiter loquendo: (qui communis usus loquendi semper attenditur & præfertur verborum proprietati, juxta *l. cum de lanionis. ff. de fundo instr. d. 1.*) est illud, in quo possessor beneficii cedit vel decedit, ita ut dum dicitur: beneficium vacavit de tali tempore, semper intelligatur de principio vacationis, non autem de processu temporis, ex quo vacatio duravit. *Gonz. gl. 11. n. 66.* quem in finem notandum, quod ait *gl. in clem. 1. de concess. præb. v. notitia.* & cum illa *Gonz. gl. 11. n. 54.* aliud esse, vacare beneficium, & aliud vacationem durare: sic namque vacationis tempus momentaneum est & indivisibile, seu vacatio contingit in unico instanti & momento temporis, nimirum quo decedit possessor, vel etiam dum vacat ipso jure in ipso puncto, quo v. g. contrahit quis matrimonium, emitit professionem, vel committit delictum. *Barb. juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 66.* citans *Chok. ad reg. 8. gl. 7. n. 23.* *Gonz. gl. 15. n. 141.* durat verò & continuatur tempore reliquo, quo illud beneficium non est denuo plenum seu provisum. *Gonz. ibid. c. n. 37.* sic v. g. *Reg. 8.* seu mensium loquitur tantum de tempore seu momento vacationis, quo illa primò contingit; non autem de continuatione illius, ne aliàs beneficium idem ex una eademque vacatione vacare dicatur in pluribus diversisq; mensibus, Apostolico & Ordinario; dum, v. g. possessor obit in mense Apostolico, & durat hæc vacatio etiam mense Ordinario. *Gonz. ibid. n. 55.* & sic quoad reservationem consideratur tempus vacationis, non autem tempus, quo duravit seu continuata est vacatio. *Gonz. ibid. n. 66.* & *gl. 24. n. 112.*

Questio 25. Ubinam, seu in quo loco contingere censetur vacatio?

Respondeo primò: in genere, vacare censetur beneficia in loco, ubi est persona ultimi possessoris beneficii; quando agitur de vacatione, quæ originem ducit à facto negativo, v. g. quòd quis intra annum non fuerit promotus, ita ut si persona non promotus tempore inducæ vacationis fuerit in curia, beneficium censetur vacare in curia, si fuerit extra curiam, dicatur vacare extra curiam. *Tond. in quest. benef. p. 2. c. 3. §. 2. n. 33.* citans *Rebuff. in p. 2. tit. de non promot. intra annum.* *Garc. p. 5. c. 1. n. 78.* si verò agatur de vacatione ducente originè ex facto positivo (intellige vi cujus

ipso jure inducitur vacatio; secus enim est, si videlicet sit privandus ab homine, seu per sententiam. *Garc. loc. cit. n. 75.* ut constabit ex paulò post dicendis, v. g. ex delicto consistente in committendo, beneficium dicitur vacare in illo loco, ubi actus ille gestus est, ob quem inducitur privatio à jure, seu etiam à speciali decreto. *Tond. loc. cit. n. 34.* *Garc. loc. cit. n. 79.* subdens *n. 80.* sic beneficia hæreticorum vacare in partibus, ubi commissum delictum, & non in curia, ubi lata sententia; cum vacent ipso jure, & conferri possint, etiam ante sententiam; quamvis hodie dum beneficia ob heresim sint reservata Papæ per *constitut. 29. Pii V.* & eatenus vacent in curia, juxta dicenda paulò post.

2. Respondeo secundò in specie: vacatio dicitur contingere in loco, ubi persona moritur. *Gonz. gl. 15. §. 1. n. 42.* *Lott. l. 3. q. 15. n. 59.* quia persona habet jus, & jus sequitur personam. *AA. iidem ex Imol. in clem. 2. ut lite pend.*

3. Respondeo tertio: ibi dicitur vacare beneficium, ubi apprehenditur possessio (nempe ob quam captam vacat beneficium aliud, seu prius incompatible) hinc attendendus est locus, ubi procurator exercet illud ministerium, nempe capiendi possessionem. *Gonz. gl. 15. §. 2. num. 10.* citans *Vitalin. n. 73.* *Card. n. 18.* *Imol. n. 19.* in *clem. 1. ut lite pend.* sic, si existens in curia, & habens beneficium requirens personalem residentiam, fuit provisus in partibus de alio simili beneficio, illiusque collationem acceptavit, & mediante procuratore illius possessionem sumpsit, adeò quipso jure jam vacet primum ejus beneficium, beneficium hoc dicitur vacare in partibus, ubi accepta possessio secundi, & non in curia. *gl. in clem. 1. ut lite pend. v. collatio.* cum qua sentire videtur *Gonz. cit. n. 10.* contra *Archid.* Et dum opponitur, talem quòdam primum beneficium fingi esse mortuum, adeò que vacare illud in curia; quia nemo potest mori, nisi ubi personaliter est, responderi eodem *gl.* talem non verè sed fictè esse mortuum quoad primum beneficium, & fictionem illam trahi ad loca, ubi capta possessio secundi. *Gonz. cit. n. 10.* ubi etiam subdit ex mente ejusdem *gl.* aliud esse nimirum beneficium illud primum dicendum vacare in curia, si possessio illa capta non fuisset per procuratorem, sed per amicum vel gestorem, & postea esset ratificata per existentem in curia; quia ante ratificationem non vacat, sed in ipso momento ratificationis, & sic in curia.

4. Respondeo quarto: in illo loco dicitur vacare beneficium, in quo quis passus est privationis sententiam. *Gonz. gl. 15. §. 2. n. 18.* citans *Simonet. de reserv. q. 26. n. 1.* *Pavin. de off. & pot. cap. sede vac. prælu. 7. n. 8.* *Mand. ad reg. 32. q. 8. n. 13.* contra *Gomel. ad reg. de impetrantibus benef. vacant. per obit. famil. Cardin. q. 7. n. 8.* sic, si in curia præsens, privetur in partibus beneficio suo, dicitur beneficium vacare in partibus, & non in curia. *Gonz. cit. n. 18.* & contra si quis absens à curia privetur beneficio in curia per sententiam, vel alio quovis modo legitimo, dicitur beneficium vacare in curia, & non in partibus. *Gonz. nu. 16.* citans *Abb. in c. ad petitionem. de accusationib. norab. 3.* & *Felin. ibid. n. 2.* *Gamb. de pot. leg. l. 3. n. 124.*

5. Respondeo quinto: ibi vacare dicitur beneficium, ubi contrahitur matrimonium; sic v. g. si beneficiatus existens in curia contrahat per procuratorem matrimonium in partibus, beneficium dicitur